MVSA HOSPITALIS
ECCLESIÆ CHRISTI
OXON.

In adventum Fœliciſsimum Sereniſſ. IACOBI *Regis,* ANNÆ *Reginæ, &* HENRICI *Principis ad eandem Eccleſiam.*

OXONIÆ,
Apud Ioſephum Barneſium. 1605.

XUM

Cæſar ave, primus dico; quia tu mihi Cæſar
Das primò vt poßim dicere, Cæſar ave.

Regia regales ſubïſtis turba penates
Pignore cum primo magnus vterq; parens.
Fundamenta patrum veſtrorum & veſtra ſubîſtis
(Coniugio an partu maior?) vterq; parens.
Hoſpitium intrâſtis Muſarum & Apollinis ædes
Hinc ſatus, hinc Muſis præſes vterq; parens.
Inſuper & ſacram Chriſto venïſtis in ædem
Gnate tener, Chriſti & cultor vterq; parens.
Alma trias, quâ nil maius tellure creatum,
Nec quicquam eſt melius ſumma datura Trias.
Grata Deo & ſeclo radix, *&* ſtemma *beatum,*
Tu quoq; radicem ſtemmaq; gemma beans.
Sylva voluptatum: precelſa Britannica Cedrus,
Teq; ferax vitis *mollis* oliva *ſequens.*
Lumina terreno ſic terna micantia cœlo,
Ceu ſupero Phœbus, Cynthia ſtella Iovis.
Hanc Triadem, & reliquos vno de ſemine * *ternos*
Qui Deus æternùm es trinus & vnus ames.

* Ducem & Principiſſa.

JOANNES KING Sacræ Theologiæ profeſſor, Decanus Ædis Chriſti, Oxon.

REgia, (Rex *Iacobe* orbis ſtella vnica noſtri)
Fundamenta ſubis, (lacera atq; inculta, fatemur,
Vt quibus aggeſtis opera interrupta fatiſcant
Molibus, ingentemq; minentur Saxa ruinam)
Sed tamen adventu ſic exultantia tantæ
Maieſtatis, Reginæq; & Principis, vt (ni
Me fallunt oculi) placidê videantur in orbem

Gyrare, & leni motare cacumina ſaltu.
Sed longè (ô fœlix ſceptrorum quatuor vne
Arbiter) ad viuos veniſti gratior huius
Structuræ lapides, nos, qui ratione, loquela,
Ore, oculis, animiſq;, & valuis cordium apertis,
Excipimus venientem, & ovamus murmure læto
Viue, veni, ſuccede tuis (Rex optime) tectis.
En te bis centum expanſis amplectimur vlnis,
Ecce paviмentum latè tot amoribus omnes
Sternimus, & votis ſequimur tua vota ſecundis.
Et nunc, Magne, tuæ requieſce ſub arboris vmbra
Suaviter; optatos vbi poſſis ducere ſomnos,
Cernere, quæ placeant, artes, ſpectacula, ludos,
Bibliothecam, ingens Bodlæi, & nobile fanum,
Tot fundata viris quondam Collegia ſanctis
Et Muſis ſacrata, ſcholas; hanc deniq; molem
Cardinea congeſtam opera; vt quæ ille reliquit
Jnfabricata, tuis conſurgant mænia tandem
Auſpicijs: ſæpe vt ſacras inuiſere Muſas
Poſſis, & crebro adventu hunc Helicona beare.

Leon. Hutten Præbend.

QVam Rex Henricus Muſis bene contulit ædem
Hanc Muſis ſtabilem tu facis eſſe locum.
Regis opus Muſis ſedes donare: tueri
Donatas, Regis non minus iſtud opus.
Regis & hoc opus eſt, bene cęptis addere finem.
Jnclyte Rex cęptum perfice regis opus.

Tho. Thorneton Præbend.

Fœlix

Fœlix noſtra domus, cùm Phœnix illa Britannûm
Poneret hîc ſolium dulcis Eliſa ſuum.
Nos ter fœlices, nos terq; quaterq; beatos
Efficit adventus (magne *Iacobe*) tuus.
Lætitia geſtit, gaudetq; Eccleſia Chriſti,
Quòd defenſorem ſentit adeſſe ſuum.
Religio, pietas, virtus, doctrina videtur
Expetere amplexus officioſa tuos.
Ergò diu fœlix vigeas (invicte Monarcha)
Sæpe feras ædi gaudia ſumma tuæ.
Sis ſemper ſoſpes, ſis hoſpes ſæpè; futura eſt
Soſpite te fœlix, hoſpite lęta domus.

Rodolphus Pickhauer Prab.

CArmina ſi poſſent animi depingere ſenſus,
Sat bene mandato munere functa forent.
Nunc quia quam vellem non pingunt carmina mentem
Senſibus hæc quæ ſunt inferiora meis,
Tu, precor ô Rex magne, meos ſine carmine ſenſus
Accipe; meq; animo quæſo metire meo.
Quo nunquam patiar, cuiquam ſit gratior iſte
Hic tuus adventus, quam queat eſſe mihi.

Io. VVeſton. Prabend.

CVm decus imperij lumenq; inſigne Britannûm
Te *Iacobe* tuis videam conſiſtere tectis,
Quæ priùs Henricus Chriſto Muſiſq; dicavit,
Jam requiem dubijs animis requiemq; Camænis
Proſpicio, æternamq; futura in ſæcula pacem.
Hæc ergo (optamus) Chriſto Duce & auſpice Chriſto
Jngredere ô Princeps, hæc atria molis avitæ;

Cumq; redis tibi ſors facilis ſperataq; cedat,
Submittant venti ſeſe, tibi ſerviat aer,
Et ſerò aſcendas vitæ melioris ad ædes.

Richardus Thorneton Prabend.

ÆDis habet Chriſti tua Rex, hæc hoſpita, nomen:
Tyderiæ Regum nobile gentis opus.
Nam tuus hîc *Volſæe* (licet nec degener ipſe)
Obrutus adverſo numine ceſſit honos.
Saxa modò & ſedem ſtatuis: mox principe læſo
Cum caderes, tecum coepta cadente cadunt.
Regia ſuccurrit pietas; natiq; paterq;
Tyderij, partes quiſq; habuere ſuas.
Omnia non potuit pater inclytus: invida mortis
Hora venit: natus ſceptra *Edüardus* habet.
Hic vbi fulſiſſet patrio res funere quaſſas,
Ante diem, cœpti vix benè compos, obit.
Altera mox proles, mox & ſubit altera proles;
Laus magna in noſtris rebus vtriq; ſua eſt.
Nunc tu magne *Iacobe* ſubis, tua tertia fata:
Poſt natos ætas tertia, poſtq; patrem.
Te ſine, nil nobis perfectum fata volebant:
Perfice, quodq; deeſt adde, vocante Deo.
Sic Ædes Chriſti, quibus olim Eccleſia Chriſti
Perfecta eſt, pariles eſt habitura gradus.
Huic, Conſtantino nam tertia ſecula magno
Auſpice, ſupremas impoſuere manus.
Non tibi ſat ſublapſa retrò, reparare *Iacobe*,
Hæc latet in titulis gloria parva tuis.
Imperfecta alijs (quod non potuere potentes)
Perfice, nec ſummam ſubtrahe, ſumme, manum.

Sic

Sic tibi, quodq; alijs actum, quodq; egeris ipse,
Æquè operis grates huius, & huius erunt.

Io. Howson Præbend.

Εἷς Εκκλησίαν Χριστῦ.

Χαίρετε νῦν Μῦσαι, καὶ Χριστῦ χαίρετε Κύροι
Σήμερον ὅιστε θεῶ, καὶ κλέος ἦλθε βροτῶ.
Μυσῶν γὰρ στέφανος, Βασιλεὺς ἐπὶ γράμμασι κλητὸς,
Καὶ πύργος πόλεως ἐστιν ἄναξ ἀγαθὸς.
Ὅς γε δρέπων κορυφὰς πρόφρων ἀρετᾶν ἀπὸ πασᾶν,
Καὶ ταύτας τεύχων ὄλβια πάντα πόλει,
Οἶκος πανταδαπῶν ὅπη ἥκει πίμπλαται ἑσθλῶν,
Μακρὰ κατοικῦσιν προσγίνεται τε χάρις.
Αἰδεῖσθε ξενίων τοίνυν κεχρημένον ὑμῶν,
Οὗ διὰ τοιούτων αἴτια τόσσα καλῶν.

Io. Perin Præbend. Reg. Græc. Ling. Profess.

VNam etiam accipies à me Rex magne salutem
Cui tua tam multas contulit alta manus,
Sim namq; ingratus, nisi quo das fonte, refundam;
Deq; tua studeam reddere messe tibi.
Salue igitur rerum decus & tutela mearum,
Atq; frequens istas iq; rediq; vias.
Et quia ieiuna est lingua internuntia mentis
Cor tibi *Gratus ades* Magne Iacobe carit.

Franciscus Stewart.

PAlladium mea Musa vocat te, diê *Iacobe*,
Palladium regem te mea Musa vocat.
Quòd tua Palladijs postponas omnia Athenis,
Pallada quòd foveas Palladiosque viros.

Palla-

Palladis arma minùs foveas quàm Palladis artes,
Et ſaga quòd credas inferiora togis;
Quòd diverſa duo ſic conciliâris amice,
Nempe togas armis,& ſimul arma togis.
Quòd tibi pax placeat,pax aurea,& optima rerum,
Palladius princeps tu mihi ſemper eris.

Ecce pium regem, re,nomine, ſorte *Stuartum*
Oeconomus patriæ qui ſtudet eſſe ſuæ.
Credite nominibus iam poſthàc omen ineſſe,
Nam Rex pro meritis nomen & omen habet.

Richardus Sackeville.

SPargite Pierides,pia numina,ſpargite flores,
Tuq; ſimul Pallas prævia ſterne viam.
Vos etiam Oxonidûm procedite turba togata,
Quotquot caſtalijs ora rigatis aquis.
Veſter Apollo venit, veſtras qui amplectitur artes,
Quiq; adeò Muſis,ingenioq; fauet.
Qui facit Aonio lucos revireſcere colle,
Adventuq; ſuo totum Helicona beat.
Tollite ſublimem hunc,ſuper æthera tollite cantu,
Jlle valet Muſas tollere,& ille volet.

Scribite me tacitis,me civem adſcribite Amyclis;
Dicite me ſtupidum vel ſine mente caput.
Ranaue ſim mutis aluit quam Seryphos vndis,
Denique ſim toto quicquid in orbe ſilet.
Regis in adventum niſi noſtra Thalia loquatur,
Lætaq; cum reliquis carmina læta canat.

Edwardus Sackeuille.

O præclara domus, Chriſtiq; Eccleſia gaude,
Quòd ſacroſancta tuis ſuccedat ſedibus hoſpes
Regia Maieſtas; vultuq; hæc atria luſtret
Exhilaretq; illo, quo regna Britanna triumphant.
Cauſa etenim nobis ſumma eſt, quòd noſtra frequentas
Limina Mecænas, Muſas qui ſolus honorat,
Et levat extinctas hac tempeſtate Camænas.
Huic ergo vnanimi nos omnes voce precemur
Longævam hìc vitam; & poſt hanc fœliciter actam,
Æternam in ſumma cœlorum ſede Coronam.

Ioannes Stewart.

SI natura negat, dabit exvltatio verſum,
Qui canat adventum (magne *Iacobe*) tuum.
Cum pariter docti, indoctiq; poemata pangant:
Nil, mihi relligio eſt, dicere: Cæſar ave.

Iohannes Rudhale.

LIttoris aſpectus non eſt optatior illi
Naufraga qui tumidis brachia iactat aquis,
Non eſt chara magis Phæbi præſentia, longæ
Tempora poſt noctis, magne *Iacobe* tua.
Quàm gratus noſtram rex ſumme adveneris ædem
Dicere non noſtrum eſt, ni tua Muſa canat.

Robert Nedham.

DVm tua tecta ſubis, Rex maxime, conſcia tanti
Numinis, en videas vt tua tecta ſtupent.

Vt centena cohors tua deficit, orba Camænis,
Quæ tamen exiluit facta referre tua.
Ergo ſed elinguis fit Muſa, quòd ipſe ſtuporem
Incutis, ingenium vincit, & omne decus:
Sydera ſic vincunt radiantia lumina Phæbi,
Sic maiore freto, tollitur vnda minor.

Robertus Ruſſell S. Theol. Bac.

CVr me pæniteat doctas coluiſſe ſorores,
Cyrrhæiſq; diu conſenuiſſe iugis?
Quid querar ingenuis non artibus eſſe favorem,
Quòdq; velit ſtudijs nemo referre vicem?
Quare aliud ſectarer iter vitæ atq; laborum,
Armaq; vel belli vel rabidi arma fori?
Credibile eſt precium fore iam non vile Camænis,
Quòdq, aliquas poterit cogere Pallas opes.
Cùm rex ipſe bonas ſtudio complectitur artes,
Cum columen ſtudijs & decus eſſe cupit.
Macte animo princeps, ſic ſic facilè itur ad aſtra,
Macte animo, & Muſas quod facis, vſq; foue.

Viue *Iacobe* diu, triplici diademate digne,
Viue diu, meritò qui tria regna tenes.
Qui ſceptrum, ſophiam, melos excolis, omnia ſummè,
Et ſuper hæc ſacrà relligione vales.
Vltima de ſummo tibi Laurus reſtat Olympo,
Accedat capiti ſera ſed illa tuo.

Io. Bowman S. Theol. Bac.

EXcipimus grato te pectore, maxime princeps,
Et domus exultat, te veniente, tua.

Vi-

Vivit vt illa tibi, demonſtrant ſemina vitæ,
Ipſa elementa docent, qua tibi mente fauet.
Terra fidem immotam loquitur, ſpirabilis aer
Quam vitalis ades mens animuſq; docet.
Vnda humilis, cultus humiles deſignat, & ignis
Zelo noſtra calent quo tibi corda, probat.
Voto ego ſollicito precor, illum devoret ignis
Vnda, aer, tellus, qui tibi damna cupit.

Io. VVright Art. Mag.

QVantus jo, Chriſti fluxit conventus ad ædes,
Vt pia pro tanto principe vota ferat?
Hic ſchola, plebs, proceres, & tota potentia regni,
Hic ſua teſtatur gaudia gratus eques
Nec *Iacobe* virûm ſunt hæc ſolatia tantùm,
Lætitiam credo ſaxa vel ipſa ſonant.

Iohn Barkesdale Art. Mag.

VNius ad pia vota ducis, duo magna ſtetiſſe
Lumina, ſacra refert divini pagina verbi.
Vno Luna die ſtetit, vno, immotus Olympo
Sol oculus mundi currum conſiſtere fecit.
Illa fuit lux vna omni memorabilis ævo,
Digna dies ſeros quæ diffundatur in annos.
Chriſte, quod vnus homo petijt, retulitq; precando
Hoc centum petimus: noſtrum, Titana morari,
Inq; ſuo curſu conſiſtat Cynthia noſtra,
Mercuriuſq; favens ſydus, ſtellæq; minores,
Quarum quæq; licet terrena mole gravetur,
Luce tamen terram ſuperat, par viribus aſtris.

Si tua Chriſte domus ſtellas non excipit omnes
Lumina magna tamen capiat, vos aſtra minora
Ædibus aut animis habitabitis omnia noſtris.

Alias.

Quid mihi vel linguas optarem in carmina centum
More poetarum, totidemve in carmina voces?
Ecce etenim vobis, centum, *Anna, Henrice, Iacobe,*
Linguis, atq; animis veſtri gratantur alumni.
Et ne ſint tardæ nobis in munere voces,
En celeres pedibus currunt, numeriſq; feruntur.
Nos verò hoc omnes ſocij faciamus alumni,
Ora ſibi centum gratatum quilibet optet,
Vt ſi, deficiant centum ora in carmine, regem
Conſortemq; thori, centum centena ſalutent.

Ed. Gwynn Art. Mag.

VAnus Ariſtoteles qui damna futura timeri
Sola docet, præſens nam timeo ipſe bonum.
Gratus adeſt nobis rex optimus, ille timorem
Dat tamen, & dulcem miſcet amore metum.
Sed tamen & timeo diſceſſus damna futuri:
Ignoſcat faſſo verus Ariſtoteles.

Iohn Wyght S. Theol. Bac.

SI ſimilem ſimilis deceat locus, optime Princeps,
Regia quàm regi convenit apta domus?
Hæc domus alma tuum dum numen ſuſcipit, æquat
Cœlum, vèl cœlo lux tua clara magis.
Et cœli decus apportas, nam luna refulget,
Et pariter Phœbus, te veniente, nitet.

Sic

Sic niter, vt centum colluſtret lumine ſtellas,
Octavus fixas quas tuus orbis habet.
Cum Rex ergo domo cœleſtia lumina portas,
Te, domus hæc cœlum, dum potietur, erit.

R. Ewer Art. Mag.

REgem Patronumq; ſuum centenus alumnus
Excipit, & gratam pietatem carmine prodit.

Salveto, noſtris, (Rex) in iſtis, iam diu,
Optate votis, ædibus:
Tibi gratulamur vocibus centum, bona
Acceſſionis proſperæ.
Ornate lauro tempora, & feſtos dies
Celebrate alumni Regij;
En commorari facilis, inceptæ domus
Dignatur inter rudera.
At ſi imperitam tangeret noſtram lyram
Thebanus arcis conditor;
Perfecta tum te mœnia exciperent, pijs
Extructa muſarum notis.
Sed tanta noſtram non beat virtus chelim,
Nec metra muros extruunt:
Teſtudo tantum hoc veſtra Rex faciet, ſono
Si perſonabit aureo.

Ed. Iames Art. Mag.

AVguſta Regum progenies, tui
Iacobe regni gloria, ſæculi
Præſentis ornamentum, & ævo
Egregium ſpecimen futuro.

Numquid relicto magnifico lare
Regalis aulæ, has te iuvat impares
Subire ſedes? hîc in arctum
Hoſpitio inferiore claudi?
Numquid repoſtis grandibus imperi,
Regniq; curis, hîc Academicas
Spectâſſe nugas, ludicriſq;
Seria poſtpoſuiſſe cordi eſt?
Molire quantus quantula? quàm tuæ
Subiecta ſorti? quam propè regibus,
Viriſq; dedignanda ſummis
Jpſe alacri ingenio capeſſis?
At ſic Deorum rector, Olympico
Cætu relicto, Mercurio vnico
Contentus, ac privatus, ædes
Baucidis exiguas ſubibat.
Gauiſa tanto eſt hoſpite Baucis, &
Coniux Philemon, quodq; paratibus,
Menſæq; frugi deerat, illud
Officio ac pietate ſupplent.
En noſtra Baucis, vel potiùs tua
Verēde Princeps, (noſtra, quod audiat,
Te dante ſolùm eſt, & priorum
Eximiâ bonitate Regum)
En illa magnis orta parentibus,
(Sed orta abortu difficili, & graui)
Elumbis, imperfecta, manca,
Torq; ſuis mutilata membris,
Quà claudicanti, poſſibile eſt, gradu
Feſtinat, illo concita gaudio,
Quòd tanta Maieſtas miſellæ
Hoſpitis hoſpitio acquieſcat.

Vide'n meatus vt numeret tuos?
Vt fixa vultu pendeat à ſacro?
Vt ſpectet? atq; expectet imis
Oſcula preſſa tuliſſe plantis?
Jndulge amori (maxime Principum)
Et impotenti ignoſcito virgini,
Quæ rapta præmature avito
E gremio, ruit in nepotem.
O ſi benignus Jupiter, editam
(Vt Bacchus olim) præpropere, inſérat
Cruri, ad minutum tempus, vt ſic
Bis genita ad ſuperos rediret.

Gulielmus Ballow S. Theol. Bac.

Ædũ Chriſti proſopopœia ad Auguſtum Iacobum regem, &c.

ORa petunt centum, dicturi maxima vates:
Omnia centenâ voce minora putant.
Heu ſteriles veri! centenæ ſunt mihi linguæ
Elinguis videor ſed tamen ipſa mihi.
Cum ſtupeat divinum Academia tota *Iacobum*
An mirum eſt centum non ſatis ora loqui?

Abrahamus Buckley Art. Mag.

HOſpite læta ſuo domus eſt hæc regia rege.
Hoſpitibus nato coniuge læta tribus.
Adventu duplici bis nos Regina beavit.
Tu triplicas vno gaudia noſtra tuo.

Thomas Baldwin Art. Mag.

De Decano, Præbendarijs 8: *&* 100 *Alumnis Ædis Christi.*

CEntum ora,& linguas optare Poeta ſolebat
Jlle olim centum: tot tamen ora parum.
Hâc Ædeinterſunt centumq; Studentibus ora,
Et totidem, SALVE MAGNE MONARCHA ſonant.
An centum ſatis? En ſupereſt reverenda virorum,
Quæ reliquum SALVE, turba novena dabit.

Aliud eiuſdem.

Plurima magnificis Collegia condita tectis,
Hoſpitio Oxonium (magne *Iacobe*) dedit.
Singula perfectè (fateor) ſunt ſtructa: catervam
Sed reliquam capiunt non niſi tota tuam.
Hæc vix dimidiâ conſurgit mole, ſed ÆDES
Hæc CHRISTI, Regem te capit vna ſuum.
Dimidium Toto plus eſt: Academia tota
Quem non, en Domus hæc Dimidiata, capit.
Parte iacens, facit hoc nondum perfecta: futuris
Cùm ſteterit ſæclis integra, qualis erit?

Simon Iucks Art. Mag.

LVcifer ede diem, mea quìd ſolatia differs?
Principe venturo, Lucifer ede diem.
Ædes alma rogat Chriſti. piger anne Boôtes
Te reuehit, lento quòd nimis axe redis?
At tibi Caſtor equum det Cyllaron, ocius illo
Accurras, reddas & mea vota mihi.
Quìd cupidum retines ſolem? iam lora capeſſunt
Solis equi, mater Memnonis orta rubet.

Aſtra

Aſtra tamen luci non cedunt. Luna videre
Expetit,& regem pallet amare meum.
Et modò rex vel nocte veni,licet aſtra micabunt,
Fulgebit nobis te veniente dies.

Quòd ſoſpitatem Juppiter præſtat ſuis,
Quòd dat iuvamen ſingulis, gratus ſuis
Venit,& beatus ſingulis: gratus tuis
Venis,beatus ſingulis,compar Jovi:
Nam ſoſpitatem,ſeu Deus, præſtas tuis,
Et das iuvamen ſingulis. Ædes ſubis
Licet inchoatas,& peranguſtos lares,
Si conferantur gloriæ princeps tuæ,
Perfecta tamen hæc noſtra videatur domus,
Perfectiones quòd tuas ſummas capit.

Thomas Baughe Art. Mag.

REgia maieſtas dum regia limina tangit,
Ædes dum cupido viſit amore ſuas,
Maieſtas & amor coëunt,& ſede morantur
Hæc vnâ; mendax ergo poeta vale.
Vnâ nec tantum hæc in ſede morantur, at ipſa
Maieſtas ſedes eſt & amoris erit;
Et cum maieſtas non dedignatur amare,
Quàm maieſtatem nos redamare decet?

Io. Bancroft Art. Mag.

De Iſide in adventu regis plus ſolito ſicciore.

NObilis Iſi, fluis ſolito cur tardiùs vndis,
Cur immota velut marmora,ſiſtis aquas?

Anne quòd exugit te zelus noſter, & ardens
Te ſiccat regem quo celebramus amor?
An novus exhaurit latices ſol iſte, minorem
Supprimit an fontem, fons pietate fluens?
An quòd fautor adeſt melior, nos rore fovere
Deſinis, & fluvium contrahis inde tuum?
Fluctibus Jſi tuis faveas, nam decidit imber,
Hoc veniente, Jovis, Caſtalis ipſa fauet.

Ioannes Smyth Art. Mag.

PRimum cor membrum medio natura locavit:
Hic, duce naturâ, eſt optimus ergò locus.
Non procul à medio cor regni, Academia: cuius
Cor quaſi, noſtra domus, nobile regis opus:
Si tibi naturæ placeat lex, Maxime Regum,
Celſa ſit imperij Regia, noſtra domus.
Annius? hoſpitio læta eſt domus, immò triumphat;
Et quodcunq; ſuum, (reddit id omne) tuum eſt.

Fælices olim fuimus, quià fœmina Princeps
Hoſpes, bis petijt Regia tecta patris:
Quales nunc erimus, cum Rex, Regina, ſatuſq;
Ambobus, Princeps: vnà adiere domum?

Gulielmus Hyde Art. Mag.

ATtulit Auguſtum nobis Auguſtus, & ipſum
Ædibus hiſce Diem detulit iſta dies.
Maturas fruges Auguſtus reddit, at alter
Maturam Auguſtus ſpem facit, atq; ratam.
Spes rata pulchra tuis fæcundaq; meſſis alumnis:
Speſq; rata eſt aditu (ſumme *Iacobe*) tuo.

Æter-

Æternum ſolium, & noſtri diadema *Iacobi*
Firmatum facias perpetuumq; Deus.

Ferdinandus Moorecroft Art. Mag.

Ad Auguſtiſſimos Principes de Inſignibus Ædis Chriſti.

INclyta magnifici, ſubeatis, tecta Leonis,
Iſte leoninæ nil feritatis habet:
Nam caput à toto qui dempſit corpore, fecit
Eſſe fera vt ceſſet, non tamen eſſe Leo.

Garrula Pieridum contendit turba, *Iacobi*
An vox grata magis, vel ſua acuta magis.
Certatur, iudex Chriſti Domus aſtat, & inquit,
Cornicem ſonat *hæc*, vox ſonat *illa* deum:
Protinus *hæc* ſumpſit pennas & pœnitet, inquit,
Eſſe ream, & ſimul eſt noſtra miſerta Domus.

Sic: quæ muta foret vocem nunc concipit vnam
Quæ tibi, Cæſareo nomine, χαιρε, ſonat.

Iohannes Hamden Art. Mag.

FAma tui adventus per nos cùm prima vagata eſt,
Lætitiæ vox eſt vndiq; quanta, Veni!
Jam te vt conſpexit, quàm non ſatiata videndo,
Sit laſſata licet turba togata, vides.
Hæc ſi ſit turbæ pietas; quantam eſſe tuorum
Credis alumnorum? Eſt laus tua noſſe tuos.

Jmperfecta, tuus quæ magnus avunculus olim
Magnificè ſtruxit, dùm monumenta ſubis;

Gaudia quàm ſincera ſonant tecta omnia circum!
Si perfecta eſſent; gaudia quanta darent!

Tho. Thorneton Art. Mag.

ÆDi gratus ades Chriſti, det Chriſtus vt ædes
Cum tua ſit (Cæſar) grata ſit itta tibi:
Quæ tua, quæ Chriſti eſt, fœlix ſit numine vtroq;
Tu fœlix Chriſto præſide, teq; domus.

Tho. Bickerton Art. Mag.

ASpicis inceptas (Rex auguſtiſſime) turres,
Fundamenta domus nobilis: hæc tua ſunt.
Atria larga ſuis nondùm quadrata figuris
Aſpicis: hæc quoq; ſunt qualiacunq; tua.
Et ſi quandò novis conſurgent alta columnis,
(Quodq; precamur) erunt iſta, *Iacobe*, tua.
Interea, tantùm non imperfecta ſtudentûm
Sunt corda: aſpicias quæſumus: & tua ſunt.

Norwicus Spackman Art. Mag.

NOn hæc blanditijs Domus aſſentatur ineptis,
Non Dominum, non te prædicat illa Deum;
Sed cùm iuſtus ades, ſimùl & mitiſſimus, illa
Te Domino, ſimilem dicit & eſſe Deo.

Accipe quæ tua ſunt, Ædes intrato triumphans
Tu proprias, Domus eſt hæc tua, noſq; tui.

Francis Blundell Art. Mag.

BIs Regina ſui ſubiens monumenta Parentis,
Biſq; videns noſtras Eliſabetha Domos;
Nondùm perfectam cur non perfecerat Ædem?
Scilicèt haud tantum fœmina poſſet opus.
Sed perferre manus quod non potuêre Sororis,
Quàm facilè expediant (Rex Animoſe) tuæ;
Regia, quæ templi poſuit fundamina virtus:
Regia perfectum reddere ſola poteſt.

VVilliam Pearce Art. Mag.

FAlſidici vates, qui vos deceperat error,
Vt (falſò) caneretis? *In vna ſede morari*
Maieſtas & Amor nequeunt. en Ædè morantur:
In noſtrâ, iſta duo; noſtram dum Rex colit Ædem
Hæc Maieſtatis domus eſt, hæc Regia Amoris.

Tu ſedem Muſæ, tibi ſedem Muſa *Iacobe*,
Quemq; illi dederis, dat tibi Muſa locum.
Cùm Regi, & Muſæ, locus eſt communis, & vnus,
Signum eſt, quod Muſas Rex colat ille ſuas.

VVill. Osbolſton Art. Mag.

ESſe quid hoc dicam? quòd ſint mea gaudia muta,
Aſſuetamque operam quòd mihi muſa neget:
Ipſa ſonent cùm ſaxa, ſonent & mœnia, Gratus,
Gratus ad hanc Ædem (magne *Iacobe*) venis.
Obſtruit os dolor vt ſummus, ſic ſumma voluptas
Ne prodire queant, pectore verba premit.

Vnica noſtrarum rerum tutela, ſaluſq;
Inclyte Rex, mundi gloria, cura Dei.

Sis ſalvus felixq́; : tuam tu namq́; beâſti
Adventu hanc Ædem, noſq́; (*Iacobe*) tuos.
Sis ſalvus, fælixq́; diu; ſicutq; fuiſti,
Sic ſemper fœlix, & bonus eſto tuis.

Fran. Garbett Art. Mag.

HIc vbi miramur pietatis tanta trophæa
Quæ ſummam artificis ſuſtinuere manum:
Cur tua Maieſtas hæc imperfecta beavit
Tecta? quid hæc (tantus Rex) monumenta ſubis?
Cauſa, domus Chriſti hæc: illi quæ ſola voluptas
Qui verâ Chriſti fixit in æde pedem.
Sors tua iam melior domus imperfecta, ſororum;
Quem procùl hæ miſeræ, tu propè ſola vides.

Edoardus Maxey Art. Mag.

Hæc domus Henrici ſoboles, Regumq; propago,
Nata ſub Henrico eſt, embryo nata tamen;
Lacte, ſub Edvardo Sexto, nutrita; Mariâ
Regnante, Hyblæo melle refecta fuit;
Pace triumphavit, dùm rexit Eliza; ſed iſtis,
Vno hoc ſe, ſperat, Principe, poſſe frui.
Hæc tibi cuncta refert vni; læta excipit, vnum
Te, Regis ſummi, & Patris honore colit;
Regia tecta ſubi, tua ſunt, (Rex) fronte paternâ
Reſpice filiolos, quos alit iſta domus.

Gulielmus Negoſe Art. Mag.

QVod potuit cælebs Muſis indulſit Eliza:
Bilq; pij ſubijt nobile patris opus.

At

At quæ non dederant longævæ tempora vitæ
Gaudia, nunc vno ſunt cumulata die.
Inſolitum duo nexa iubar dant lumina: cuius
Splendore Henricus fulget, & indè ſuo.
Ergo ſuis lucem hanc faſtis inferre (per annos
Quò pæana memor noſtra Camæna ſonet)
Fas putat, aſpectu lætans, Eccleſia Chriſti;
Lætior, hoſpitio gaudia iuncta ferens.

Sancta ruinoſis ſi ſtat veneratio templis:
Dummodò ſpectator, numen ineſſe, ſciat.
Rudera ſi aſpicias, ne temnas, advena: claro
Hoſpitis, hæc AEdes, lumine clara micat.
Templis, ac AEdi quî deſit gloria? cum ſint
Hoſpitia, hæc magni principis, illa Jovis?

Iacobus VVhitehall Art. Mag.

VT primùm adventum cantauit fama *Iacobi*,
In verſus converſa ſtatim, mea Muſa loquuta eſt.
Sed ſi nulla leges (Rex) carmina, nulla reuolues
Adventu niſi digna tuo, mea Muſa ſilebit.

At Regem de ludis.

Dant epulas alij quibus eſt res: nos tibi ludos,
Et tibi pro rebus verba, iocoſq; damus.
Nec ſtultè: nam grata queunt & noſtra videri,
Cùm conſtet lepidis ſeria ineſſe iocis.

Georgius Hamden Art. Mag.

RExvatum vt (Sexte) es ſic vates (prime *Iacobe*)
Te, ſine te, nemo carmina digna canet.

Vno

Vno expectato duo quod fers numina tecum,
Hoc est quod de te (parce precor) querimur.
En Maro doctus adest, Augustum quærimus, ecce
Virgilium volumus, Cæsar & ipse venit.
Esto, veni Cæsar, quo vatum regna vigebunt,
Inq; tuâ vitâ vita, salute salus.
Hocq; tuum nomen sonat, atq; est omen in illo
A C Pax E Mvs Js, RoBur Jtemq; SEDET.
Si Pax in titulis, si in scuto (dissita iungo)
Si regnum regno, si rosa iuncta rosæ est,
Vni si triplex coeat leo, cuncta sonabunt
Gratus ades populo Dîe *Iacobe* tuo:
Grataq; Juno tua, & Princeps, ter grata Triasq;
Post duo gesta, precor, tertia sceptra feras.

Henry Garnons Art. Mag.

Fausta domus gaude, solo vel nomine fausta,
Fausta à principibus semper amata pijs.
Principis Edvardi, ac Henrici, regis amore,
Reginæq; piæ, fausta prius fueras.
Nunc quia te princeps, rex, & regina salutant
Atq; favent, verè es facta beata domus.
Et meritò, nàm qui perfectè reddere talem
Posset, adest: fuerant qui voluere prius.
Sed quanquàm voluere priùs (sic fata fuerunt,)
Quod voluere prius nemo peregit opus.
Hunc ætas, ne te perfectam redderet, illum
Bella, hanc virgineæ detinuere manus.
Nunc (reliquos fas sit mihi qualescunq; tacere)
Rex qui perfectam reddere possit adest.

Va-

Vndiq; qui cum ſit perfectus & vndiq; fœlix
Perfectam, & ſimilem te ſibi (ſpero) dabit.

And. Adams Art. Mag.

GRatus ades Rex Magne tuis; tibi propria ſedes
Hæc domus, hæc ædes eſt tua, noſq; tui.
Quam quia ſacratam Muſis ſtudijſq; dediſti,
Carmina dat, ſtudij ſigna, Camæna, ſui
Carminibuſq; ſuis vox eſt hæc vnica, ſenſus
Vnicus, hæc tua ſunt, ſumme *Iacobe* tua.

Gulielm. Coton Art. Mag.

DÙm te templa iuvat Muſarum intrare *(Iacobe)*
Divaq; Parnaſſi tecta ſubire tui.
O quàm fama levat tua nos ſublimis, & alta
Muſa coronatis noſtra triumphat equis.
O quàm voce vnâ domus hæc miſeranda reſultat,
Puluere tanta licèt ſemiſepulta iacet.
En famæ & decoris ſpectacula, clamat, aviti
Iam redeunt tectis en mea vota meis.
Sint proſtrata licèt te principe, noſtra triumphant
Mœnia, tu murus noſter & alma ſalus.

Rich. Clearke Art. Mag.

NOn patitur Naſo quòd in vnâ ſede morentur
Maieſtas & amor. parce poëta, furis.
Vnâ namq; Domo, non amplâ ſede, morantur
Vnà Maieſtas orbis, & orbis Amor.

Treis ædis parteis trini posuere Leones;
Quarta futura deest? en Leo quartus adest.

Tho. Aylesbury Art. Mag.

QVorsùm, inquis, ferimus tibi carmina? (Magne Mo-
Adventũ possunt hæc decorare tuũ? (narcha)
Carmina sunt fatui mendacia vana cerebri,
Atq; poeta solet non nisi ficta loqui.
Mira facis, verum nam me facis esse poetam,
Cùm verè gratum te mea Musa canit.

Aliud.

Quâ nunc exciperis domus est tua (Maxime Princeps,)
At Musæ dicunt hanc simul esse suam.
Quàm charus Musis, quàm charæ sunt tibi Musæ?
Namq; vna est Musis & tibi iuncta domus.

Franciscus Iames Art. Mag.

ESt domus ista (domus si fundamenta vocentur)
Eventu subito nomen adepta triplex.
Principis hìc domus est, Reginæ Curia, Regis
Musæum (Musis si vacet hora tuis.)
Te præsente satis titulorum, absente, recedit
Curia, Musæum, vixq; relicta domus.
Si placet, vt nomen iàm ternum, mòx ferat vnum,
Ædifica partes, Diue, domumq; voca.

Richard Corbett Art. Mag.

ANglia si fœlix tua sit, quòd sit tua (Princeps)
Quàm fœlix tua, quòd sit Domus ista tua?

An-

Anglia tum fœlix, cùm tu tria ſceptra teneres;
O ſi tam fœlix nunc foret iſta Domus,
Ædes vel pariter tres vt nectantur in vnam,
Vel ſaltem vt fiat pulchrior vna tribus.

Aliud.

Jure tibi (Princeps) Domus hæc largitur honores,
Nam tua ſunt quæ dat, quæq; dat, illa tua eſt.

Rich. Minchin Art. Mag.

De Sole Venere & Mercurio in virgine coniunctis quo tempore Rex Eccleſiam Chriſti ingreſſurus eſt.

SOli iuncta Venus, Veneri Cyllenius heros,
Virginis inq; vnâ parte, quid eſſe putem?
Sol rex, & Venus eſt regina, Eccleſia virgo,
Mercurius Princeps: quid magè perſpicuum?
Sic ô ſic veri ſemper præſagia cœli
Sidera, venturos ſignificate Deos.
Et quoties fuerit Veneri Sol Virgine iunctus,
Atlantis magni Pleïoneſq; nepos:
Dignetur toties tua nos præſentia, & ædes
Jnviſe has toties (magne *Iacobe*) tuas.
Jntereà ter gratus ades (ter maxime Princeps!)
Gratior huc hoſpes nemo venire poteſt.
Officioſa tibi domus hæc devota ſalutem
Submiſſè impertit, mænia χαιρε ſonant.

Robertus Burton Art. Mag.

Ad potentiſſ. Regem.

ERgo nihil dabimus; tua iam ſunt omnia Cæſar,
Quoq; magis tua ſint, tu tueare magis.

Ad sereniss. Reginam.

Si quàm grata aderis, diu manere
Si quàm grata aderis abire serò
Si quàm grata aderis, redire sæpe,
Si quàm grata aderis valere semper
Tam velis poteras vè Diva Princeps.
Certum est, debueras diu manere
Certum est, debueras abire serò,
Certum est, debueras redire sæpe
Certum est, debueras valere semper.

Apostroph. ad Ædem.

Imperfectam, esse te dicit quispiam
O domus? taceas domus.
Fœlix es rege, reginâ, principe
An velis melius bonum?
Tu tantùm vota Deo solvas, hospites
Servet incolumes tuos.

Henricus Byam Art. Mag.

FErtur Atlantiades (si vera est fabula) parvos
Cum Iove, mortali specie, subijsse penates.
Vna domus Diuos, sed & hæc inculta, recepit,
Sed pietas domini gratam quoq; reddidit illam.
Hic pia Baucis anus, lecti consorsq; Philemon
Plurima fictilibus Dijs appoluere receptis,
Ova, nuces, vuas, vinum, cum lacte coacto.
Jamq; domus potuit divumq;, hominumq; vocari,
Nam superi memores meriti, dominiq;, domusq;
Straminea, auratis, mutarunt culmina, tectis;
Cælaruntq; fores, adopertaq; marmore terra est,

Vil;

Villaq; iam potuit magno Jove digna videri.
Sic humiles ſuperis placuerunt ſæpè penates.
Quare agite ô magni, tecta indigeſta, monarchæ,
Mortales ſalvere Deos, pia tecta, iubete.
Mercuriumq; , Iovemq; patrem , caſtamq; Minervam
Inclinata domus, complexibus excipe charis,
Fictilibus cùm nos illos onerare paramus,
Et veniam nugis, nulliſq; paratibus, vnà
Centum *Iacobi* tenues oramus alumni.
Vos quoq; terreſtres Superi, *Anna*, *Henrice*, *Iacobe*,
Protegite, *Henrici*, monumenta inſecta, potentis,
Vixq; cohærentes vos ſuſtentate columnas,
Poſſit vt æternum Chriſti domus iſta vocari.

Guill. Maxey in Art. Bat.

ANne Britannorum Regum quò nemo venire
Auſus, eò iam ſtirps regia tuta venit?
Reguſus Algarus fit captus lumine, quærens
Hic Frideſwidam tollere, & inde timor.
Sed Frideſwidæ Rex cum ſis conditor ædis
Pace dehinc tua ſtirps, ire, redire, poteſt.

Edm. Gunter in Art. Bat.

BElleropbontæi fuerat cùm nota Caballi
Fama, ſalutiferas qui pede fecit aquas.
Nulla mora eſt, ſacros petijt Tritonia fontes,
Fœliceſq; vocat, ſors quibus illa, Deas.
Excepere Deam Muſæ, cui ſingula monſtrant,
Arteſq; , & meritò quem probat illa, locum.

Muſæ agite, è vobis quæ laudatiſſima geſtu
Nunc placeat, ſi qua dote placere poteſt.
Numen adeſt, cui cauſa viæ, vos ſola videndi,
Ecce etenim Phœbus, Pallade maior adeſt.
Eia age quiſquis eris, Phæboq; oſtende petenti
Arteſq;, & ſtabilem relligione locum:
Vt tandem petijt quos ſæpe videre, videndo
Fœlices dicat, ſors quibus iſta, viros.

Timotheus Pickhaver in Art. Bac.

SI deſiderium populi, patrumq;, *Iacobe*
Reſpicis, & doctæ gaudia vera togæ.
Gratus ades populis, & patribus, atq; togatis,
Te populus, patres, te toga docta colit.
Tu quoq; (lætitiæ quo ſit fiducia noſtræ)
Reſpice nos, ædes ſuſcipe iure tuas.

Ioannes Pickhaver in Art. Bac.

POſt eadem toties repetita vocabula corvis
ΚΑΙΣΑΡ ΧΑΙΡΕ: diu tacuit, patientia tandem
Cæſaris invicti mota eſt, iuſſitq; tacere.
Haud aliter poſt tot tibi (Rex invicte) ſalutes
Prolatas, vereor mea vox ne ſera moretur,
Tædiaq; auriculis, veniens ingrata faceſſat:
Attamen huc quando venienti (Maxime Cæſar)
Mœnia ΧΑΙΡΕ ſonent, & rudera muta loquantur,
Ah quantus pudor eſſet, vt Ædes iſta loquatur
Chriſti, ſi Chriſti tacuiſſent Ædis Alumni!

Tho. VVright in Art. Bac.

Pal-

PAllas, Juno, Venus, Troiani in culmine montis
Judicium teneri cum subiere Phrygis,
Regna Jovis coniux, doctrinam filia donat,
Sed Veneris sermo plenus amoris erat.
Sic Paridem, quem nil Junonis regna movebant,
Nil Pallas potuit vincere, vicit amor:
Pallas, Juno, Venus, desertis vallibus Idæ,
Munera iudicio supposuere tuo.
Juno donat opes tibi (Cæsar) carmina Pallas,
Grata sed obsequio vincit vtramq; Venus;
Nos ipsam venerem, sic nos si cætera vincant,
Qui velit obsequio vincere, victus erit.

Pontificis quondàm domus hæc fuit, inde vocatur
Henrici Octavi nomine regis opus.
Nunc Christi est ædes: fœlix est (Christe) quòd ædes
Hæc tua sit: si non sit tua, cuius erit?
Est tua, sed regis tamen est, tua dicitur ædes,
Hâc quia sacratum est nomen in æde tuum.
Regis & esse potest, non quòd tua desinat esse,
Sed quòd rex ædem protegat ipse tuam.

Io. VVoodford in Art. Bac.

DEfensor fidei, Christi fortissime miles,
Æde sub hâc Christi, sit tibi grata quies,
Sunt tua quæ cernis; licet imperfecta, probentur;
Nam sua (quod dicunt) quæq; cuiq; placent.
Villicus vt domino, sic nos tibi (summe Monarcha)
Auspicijs faustis in tua tecta veni.

Ad Reginam.

Virginibus fuerat sedes Vestalibus olim,
Quæ nunc hospitio te (Dea Juno) capit.

Hæc

Hæc loca nunc habitant, ortæ Jove patre Camenæ,
Adventumq; tuum me celebrare iubent.
Accipe quam mittunt igitur pia turba salutem
Et tibi, formosis virginibusq; tuis.
Jupiter has semper, metuat neq; Iuno, pudicas
Dilexit; coniux quas amat, vxor amet.

Thomas Benson in Art. Bac.

QVâcunq; ingrederis, tua sunt (ô summe monarcha)
Oppida, rura, domus, pascua, prata, greges.
Et quicquid salsi circumfluit æquoris humor:
Insula tota tua est, terra Britanna tua.
Hanc tamen, hanc, inquam, musarum (maxime) sedem
Maiori poteris dicere iure, tuam.
Hic doctrina viget, cultusq;, arteſq; virorum,
Hæc tibi solus habes, cætera participas.

Excipit hospitio regem, celeberrima Christi,
Sed maiestati non satis ampla, domus.
Hæc quoq; tam miti debetur gratia regi:
Non humiles Christi temnit inire casas.

Ioh. VVebbe in Art. Bac.

Ædes (Christe) tuas, tua templa, monarcha Britannus
Intrans, divino quid priùs ore refert?
Forsan ait: mea sunt sublimia tecta columnis,
At Christi nondum est ædificata domus.
Insignis regis pietas, regisq; prophetæ
Non minor: hic olim talia dicta dedit.

Tho. Harlow in Art. Bac.

DIcite, cùm præſens ſit veſter præſes Apollo,
Dicite Pierides, quid ſilet vna ſoror?
Ecquid adhùc ſupereſt, quod gaudia noſtra meretur?
Ecquid adhùc cœlum, quod ſuperaddat, habet?
Forſitan abſentem ſentit Phaëthonta, doletq́;,
Quòd nolit Phæbi templa ſubire ſui.
Exiguam ſubiere caſam duo numina quondàm,
Excepitq; duos Baucidis aula Deos.
Noſtra domus capiet tria numina (maxime Princeps)
Tu tandèm nobis tertius hoſpes ades.
Vt tribus hoſpitibus ter tres gaudere ſorores
Poſſint, & nomen concelebrare tuum.
Sic numerus trinus, qui perfectiſſimus ipſe,
Perficiet Muſis gaudia ſumma tuis.

Ioh. VVilliams in Art. Bac.

QValiter aſtrigerum illuſtrant duo lumina cœlum,
Taliter hanc claram numina bina domum.
Non ſic Iliacas ornavit Pythius ædes,
Non ſic Cecropiam caſta Minerva ſuam.
Clarior hæc domus eſt; duplici ſplendore coruſcans,
Cui ſuperis nullum novimus eſſe parem.

Aliud.

Muſarum hæc domus eſt; quid tot Pæana ſonantes?
Ecce, canit Phæbo turba novena ſuo.

Georgius Nedham in Art. Bac.

ASpicis vt reduci lætentur ſingula Phæbo?
Singula vivifico lumine Phæbus alit.

Aſpicis vt domus hæc venientem læta *Iacobum*
Excipiat? Phæbi luce refecta calet.
Diſſimile hoc vnum eſt: currus ah ſiſte propinquos
Delie, luce necas, ſi propiore micas.
Noſter abes nimium, propius quin lumina vertas,
Nam magis illa fovent, quo propiora magis.

Chriſtophorus Dugdale in Art. Bac.

QVæ deſerta prius, vix condita mœnia cernis,
(Mœnia tutelæ, magne, dicata tuæ)
Regali ſurgunt aſpectu, ſtructa videntur:
Nil imperfectis (omnia pulchra) deeſt.
Accurrant homines alibi, lætiq; ſalutent:
(Lætitiæ illius portio noſtra quota eſt?)
Hic muri accipiunt, opera interrupta triumphant,
Hoſpitio, pluſquam læta, ſuperba, tuo.
Hoc vnum excruciat, te diſcedente manebit
Vt prius, incæptum nobile regis opus.

Edvardus Hyde in Art. Bac.

Ad Regem, de Stella Iovis.

STella Iovis, prono qui fulgens lucida cœlo,
Obliquo noſtram deſpicis ore domum,
Ecquid palleſcis, quòd maius regia numen
Noſtra tenet? videas, invideaſq; licet.
Aſpicis, vt victus maiori lumine Phœbus,
Oceano ſubiens, condit ab orbe diem?
Tu tamen illius lumen perferre coruſcum?
Cui ceſſit Titan, tu ſuperare putas?
Quin potiùs (tantum cupias ſi cernere numen)
Deſcende, & ſedes occupet ille tuas.

At-

Atq; ſolum cœlo mutans, mirare *Iacobum*,
Suſpice maiorem Jupiter ipſe Jovem.

Ad regem, pro Baccalaureis.

Primus amor Phœbi Daphne; quæ laurea facta
Cingebat frontem (mollis Apollo) tuam.
Tu Titan, tu Phœbus eris, tu noſter Apollo,
Tu Dominus Muſis (magne *Iacobe*) tuis.
Hinc nos, qui baccæ & lauri geſtamus honores,
Oramus, tibi ſit laurea primus amor.

Nath. Fownes in Art. Bac.

MVſa mihi cauſas memora; quid tota querelis
Squalida? quid tanto mœſta dolore gemis?
Forſitàn abruptis nondùm perfecta columnis
Mœnia tàm longi cauſa doloris erant.
Hinc illæ lachrymæ? pudet, has compeſce querelas;
Ecce colit templum magnus Apollo ſuum.
En qui voce ſuâ Troiam modò condidit, ille
Perficiet ſedem voce iubente ſuam.
Parce (precor) vati, quandò te præſide vatum,
Si benè vaticiner, vel malè (Phœbe) tuum eſt.

Aliud.

Regia ſolis erat ſublimibus alta columnis,
Iſta domus, noſtri Regia ſolis erit.
Sol mundi nobis oritur, gratiſſimus hoſpes,
Próh dolor! hæc tantum vix capit aula Deum.
O vtinàm ſummum pulſaret vertice cœlum,
Atq; foret Domino par domus iſta ſuo.

Iob. Bird in Art. Bac.

SI capit augustum sedes angusta *Iacobum*
Sit sedes nostri Cæsaris ista domus.
Porta patet, tibi corda patent (Auguste) tuorum
Auspice quo, lani ianua clausa manet.

Qui Christi nomen delubris hisce colendum
Tradidit; hæredi ius dedit omne tibi.
Christus habet primas tu (Magne *Iacobe*) secundas,
En Christi Templum nomine, iure tuum.

Aliud.

Henricos inter qui octavus, & optimus, ædem
Instituit, Musis quam dedit indè sacris.
Quam dedit Octavus, colit hanc Octavius, ille
Author erat tantæ, sed decus iste domus.

O domus excepto fœlix, & fausta *Iacobo*!
Hanc colit ille domum, quem colit illa Deum.

Qualis formosis stipata Diana puellis,
Incessu talis nobilis Anna venit.
Arguit ista Deam facies, meritoq; vocari,
Si formam spectes, Anna Diana potest.

Barnabas Holway in Art. Bac.

QVòd vidisse alijs datur *Iacobum*
Lætantur: tenuisse nostra gestit
Exultat domus hospitem beatum.
Intrantem reliqui colunt, & imis
Submittunt pedibus manū: quid ergo
Nos Christi & tua turba factitemus

Dum

Dum Chriſti colis & tuum receſſum?
O quantùm hoſpitio tuo ſuperbit
Conventus tuus Ædi Chriſtianus.
Te Regem vocat & vocat Patronum,
O ſic ſæpe adeas tuos precamur
Vt Rex maximus, vt Patronus, Hoſpes.

Iohannes Dell *in Art. Bac.*

ECce vt tota domus ſplendet, quaſi limine primo
Sentiret præſens lumen adeſſe novum:
Ecce vt tota domus geſtit, quaſi limine primo
Sentiret præſens numen adeſſe novum:
Nec mirum ſi tota micat geſtitq́; quòd illa
Et Phœbi, & magni regis regis erit.

Ordinis ipſe virûm noſtri mandata priorum
Si ſequar, Iliadas ſcribere non ſat erit:
At quis det dignum ſatis, hoſpite rege poeta
Carmen, & Auguſto quis veniente neget?
Hoc pudet; aſt illud te indignum nolo *Iacobe*;
Ergo deeſt quicquid carmine, ſupplet amor:
Nam ſi quid charum mea longa Periphraſis addit,
Dictat amor brevitèr, ſat, benè; gratus ades.

Guilielmus Barlow in Art. Bac.

CArmina qui ſcribunt, poſcunt centum ora poetæ,
Linguarumq́; minor copia, nulla ſat eſt;
Sunt centum linguæ, ſunt ora in carmina centum
Nobis lætitiæ vox tamen vna. Veni.

Jmperfecta vides, magni fundamina regis,
Perfecta adventu, sunt tamen illa tuo.
Quid mancum esse potest, vbi tu perfectio mundi,
Naturæ vbertas divitiæq; manes?

Samuel Fell in Art. Bac.

INvidiosa diù tenuisti vrbs aulica regem,
Jpsa nec es nostram passa videre casam.
Mitte, tenes frustrà, hic amor est, hic pascit ocellos;
Non potis est Musis Phœbus abesse suis.
Qui Musas sic Cæsar amas, tibi reddet amorem
Musa, sinet nunquàm, si moriare, mori.

Iohannes Browne in Art. Bac.

REgum maxime, principumq; princeps,
Cum tot iam tibi debeat Jacobe
Tùm præsentia læta, tùm futura,
Tot miracula, visa tàm stupenda,
Tot spectacula, cuncta tàm decora,
Plus debet, tua, nostra, quòd sit, Ædes.

Mira canunt veteres, sed non credenda, Poetæ,
Sæcula Phœnices non habuisse duos:
Phœnices habet orbis, habet nunc insula nostra,
Nunc habet Oxoniũ, nunc domus ista duos.
Annam continet ista domus, capit ista *Iacobum*,
An non Phœnices continet ergo duos?

Ad Illustrissimum Principem Henricum.

Ædi gratus ades nostræ, patriæq;, tuæq;,
Nam patrio potes hanc dicere iure tuam.

Petrus Turner Art. Mag.

Epigram.

Epigramma in auſpicatiſſimum adventum Regis, & Reginæ.

ASTrologi referunt terram obſcurare tenêbras,
Cùm Phæbo occurrat Cynthia clara polô.
Aſtrologi fallunt: occurrit Cynthia Phæbo
Oxoniæ: lux eſt non tamen inde minor.
Sed iubar vnitis affulget clarius aſtris,
Fert lucem ipſe ſuam, fert quoq; & ipſa ſuam.
O lux effulgens, quam Chriſti ſplendeat Ædes
Hic Phæbe Phæbo cum prope iuncta micat!

Epigramma in auſpicatiſſimum adventum Regis, Reginæ, & Principis.

O ter fœlices quêis ſunt tria regna ſub vnô
Numine, cœleſti ſceptra regente manu.
Sed magè fælices queîs hìc tria numina in vnis
Vnius anguſtæ mœnibus Ædis, agunt.
Obſtupeo & lætor: quorum vni vix tria regna
Sufficiunt: Domus hæc ſufficit vna tribus.

Tho. Vachell in Art. Bac.

LÆta triumphali ſonat hæc Eccleſia cantu,
Quid ſibi vult? regem ſentit adeſſe ſuum.
Henricus quondam muſis hæc templa dicavit,
Nec negat hæc muſis, noſter Apollo ſuis,
Dat, quiſquis data confirmat, tua regia muſis,
Quòd data, quòd rata ſit, (magne *Iacobe*) tuum eſt.

Car Coventry in Art. Bac.

AVrea ſplendentis liquiſti limina tecti,
Pieridûm vt parvas intueare caſas:

Fama

Fama loquax nimium non est mentita *(Iacobe)*
Cum verè dixit quòd φιλομῦσος eras.

Tho. Knyvett in Art. Bac.

HIc Leoparde domum struis, ast hìc ponere templum
Non potes, hoc opus est, immo Leonis opus
Et Leo de Boreâ Judæ fabricare Leoni
Vult templum, templum quòd Boreale deest.
Ergo sonant te tecta, sonant te templa, *Iacobe*,
Tecta viris, templum quòd dabis ipse Deo.

Robertus Percey in Art. Bacc.

Genius Ædis Christi de Principe in Collegio Magdalenæ hospitante.

ACcipio Regem & Reginam, & adhuc locus amplus
Cur Princeps igitur tertius hospes abest
Magdalidum est mera vafrities, Natoq; parentes
Atq; illis natum, dura, carere facit
Henricum Henrico spoliat, quia quæ dedit ille
Hunc vetat hospitij tecta subire sui.

Hæc sedes Musis, studijsq; est sacra, Camænæ
Hîc posuere domos, hîc sua tecta colunt:
Quòd Rex dignatur Musarum visere tecta,
En Musæ, Regi munera, metra, ferunt.

Richard White.

NOn perfecta Venus, quam mira incepit Apelles
Arte, sed artificis funere manca manet:

Et

Et non, qui potuit limatè consona primis
Pingere quæ deerant cætera membra, fuit.
Infectam tamẽ hanc perfectè habuisse lacertos,
Os, oculos, humeros, pectora grata ferunt:
Ædes hæc similis Veneri, quam pinxit Apelles,
Te capit amplexu, magne *Iacobe*, suo:
Perfectè & præbet, licet imperfecta, lacertos,
Os, oculos, humeros, pectora grata tibi.

Iacobus VVhitehall.

SPes fuit in tenerâ veluti nova messis in herbâ:
Nam solis caruit lumine Phæbus ades,
germinat hinc messis: sunt gaudia messis: & horũ
Primitias tibi (Rex) dedico, Gratus ades.

Regia fit, fundata tuis maioribus ædes
Regia, in adventum regia facta tuum.
Aula fit ex aulâ: teq; aula salutat, & ædes:
Atq; tua vt fiat sæpiùs aula petit.

Iohannes VVilson.

CVm Fundatorem, Patrem rapuisset Elisæ
Mors, Domui huic Mater, Filia Elisa fuit.
Nunc cùm Matre suâ Domus hæc orbetur Elisâ,
Te Patrem invenit (Magne *Iacobe*) suum.

Richardus Colemore.

VNa quòd ad nostras bis venit Elisa Camænas
Bis fœlix visa est nostra Camæna sibi.

At modo cum ſimul accipiat tria numina, noſtra
Ter, tali adventu eſt facta beata domus.

Laurentius Pey.

VIdiſti procerum, Rex, atria magna potentûm,
Et quas divitias, quas habuêre dapes:
Viſere iam tandem non dedignaris Athenas,
Et quas delitias noſtra Minerva dabit:
Aſt hæc quid tibi det, vel quem ſuperaddat honorem,
Cùm quantum & quicquid poſſidet, omne tuum eſt?
Quid det? quid non det, quem non ſuperaddat honorem,
Cùm fuerit, quicquid poſſidet, omne tuum?

Phil. Flemming.

FAma tui adventus, quæ te præceſſit, & vrbem
Te prior advenit, magna (*Iacobe*) fuit.
Tu famâ maior, nam vero fama minora
Rettulit, hic rumor, te veniente, ſilet.
Magna fuit virtus audita, at maxima viſa,
Sic vultu ſuperas ſpemq; fidemq; tuo.

Hîc ars, hîc Muſæ ſedes poſuere ſacratas
Virtuti hunc fixum Rex dedit eſſe locum.
Fœlices artes, & fœliciſſima virtus,
Queis datur hunc dignum poſſe tenere locũ;
Sed magis ô magno, fœlices, Principe, Regem
Queis datur in proprio poſſe videre loco.

Henrie VVatkins.

Vir-

VIrginis ad calcem vergens Sol (alme *Iacobe*)
Adventare hyemis, frigida ſigna, docet.
Te verò Oxonium veniente, Leonis ad ædes
Nobis eſt viſus, Sol retuliſſe diem.

Carolus Croke.

QVæ non Autumno fiunt matura? colonis
Spes ſua ſtat, floret fructus, & alma ſeges
Autumno (Rex magne) venis gratiſſimus hoſpes
Spe, & fructu Muſas vberiore beans
Cuncta vigere facis quo veneris, altiùs Ædes
Infecta excreſcit noſtra quòd ipſe venis.

Guil. Maycock.

ÆDe quid anguſtâ (Princeps auguſte) moraris?
Num capiat Regem Regis alumna domus?
At cum nutritius domui ſis, magne *Iacobe*
Te capiat domus hæc quam tua dextra fovet.

Iohn Burſey.

VEra, potes verè lætari, Eccleſia Chriſti,
Quòd portas intrat Rexq; , piuſq; tuas.
Vera potes, verè rex, gaudia carpere, Chriſti
Ædes quem gremio geſtit habere ſuo.
Solos fœlices Chriſti Domus excipit, illa
Infœlix, quam rex expetit, eſſe nequit.
Fœlix fœlicem, iuncto ſic ſemper amore,
Illam tu cupias, illaq; te capiat.

Deq; domo, & Domino valeat lis, quem colit illa,
Exornet, quam nunc incolit ille, beet.

Plena nigris fuit aula togis, omniſq; receſſus.
Quomodò ſit Latium, Græcia tam ſubitò?
Pallia privatum nunc implent quemq; receſſum
Succeduntq; nigris, ſplendida multa, togis.
Quid mirum? nubes cum ſolis lumina pellant,
Si fortè has ſplendens Lunaq́; , ſolq; fuget?

Quàm benè virtutes probat, alta palatia linquens
Rex, ad Muſarum dum parat ire domos?
Plurimus eſt ibi Martis honos, hic plurimus artis.
Artis tela gerunt hìc, ibi Martis habent.
Facta illos ornant, dicta hos, ſua ſcriptaq; mentis
Hic ſunt divitiæ, ſunt ibi deliciæ.
Actio cum verbis eſt pulchrior, aula relicta
Cur eſt? cur ſacras rex adit haſce domos?
Scilicet, vt ſolis ſplendentia lumina, vultus
Communes radios Rex cupit eſſe ſui
Adde, quòd aula virûm domus eſt, hominiq́; dicata,
Atqui ædes, quam nunc incolit ille, Dei.

Guil. Dolben.

AVguſto quòd te domus imperfecta paratu
Excipit, an mirum eſt (Rex *Iacobe*) tibi?
Auguſtus cùm ſis Princeps, ſub menſe receptus
Auguſto, anguſtum quî daret hoſpitium?

Io. Lloyd.

Mala

Mala dat autumnus, tamen hic autumnus & auferet
Omne malum, nobis & dedit omne bonum.

Hortis Heſperidum beatiores
Ædes, Chriſte, tuas putamus omnes.
Quàm nos ſyderibus fovemur almis
Hic *Henricus* & *Anna* dum refulgent
Et *Iacobus* alit peculiari
Muſam lumine, lumen ipſe Muſæ.
Ergo iam capimus ſereniores
Cœlos & fruimur beatiore
Te, *Iacobe*, die, nec vmbra noctis
Obſcuret modo ſis futurus hoſpes.

Ioh. VVall.

AVla locus Regis, non eſt hìc Aula: quid ergò
Te capiat ſedes non ſatis ampla tibi?
Scilicèt hoſpitium ingratum eſt, ſi curia deſit,
Et capiat ſacræ magna ruina domus:
Hìnc tamen elucet Muſarum feruidus ardor,
Cùm tibi, Muſarum, curia, parva domus.
Fœlix ergò domus, licèt imperfecta, quòd Aula es
Principis, & ſpero ſæpiùs Aula fiet.

Muſis Aula domus, domus hæc eſt Aula, quìd indè?
Spero Aulæ, & Muſis mutuus ardor erit.

Tho. Iles.

AN non eſſe putem ſuperis mortalia curæ?
Proſpera nec doctis, fata parare viris?

En; iàm tempus adeſt, noſtræ quo tota ſtruentur
Fundamenta domus; non niſi iacta priùs
Hoc ſignum eſt certum, magnô veniente *Iacobo*
Et cum Nobilibus, iam properante ſuis.
Splendida ſe oſtendunt magni fundamina templi,
Sordida ſub terram quæ iacuere diù
Optima magnificum mittunt præſagia regem
Vertere regaleis ad pia facta manus.

Franciſcus Gibbons.

QVæ vox? quis ſtrepitus? qui clamor in ædibus iſtis?
Muſarumne adytis convenit iſte ſonus?
Convenit. inviſit Muſas iam magnus Apollo;
Eius ab adventu provenit iſte ſonus.
Hìnc verſus, hìnc vota ſonant, ſemperq; ſonabunt,
Muſarumq; adytis convenit iſte ſonus.

Henrie Medhop.

ADnos quòd venias, læti cantamus, ovantes
Dicere deducto carmine, Cæſar Aue:
A nobis viſus, tu noſtros paſcis ocellos,
O, precor hos oculos paſce, *Iacobe*, diu.
Serus abi: & cùm te graviora negocia nobis
Surripient, redeas ſæpè, *Iacobe*, precor.

Thomas Godwyn.

QUid tot in orbe deos numeramus? cum tamen vllu.
Vix vnquam in toto vidimus orbe Deum.

Si

Si tamen in toto fore creditur vnus, haberis
Jnclyte Rex, divi nomen, & omen habens.
Et quid ni? nam qui nobis Muſiſq; locavit
Has Ædes, nobis certè erit ille Deus.

Iſaac Colfe.

Fælix illa domus quæcunq; , locuſq; beatus,
Qui tantùm vnius curia regis erit.
Quanto in præſenti noſtra eſt fœlicior ædes?
Quòd ſit principibus curia facta tribus.
Rex pius, & regina, vtriuſq; *Henricus* imago
Regia, nos triplici conditione beant.

Edwardus Bonghen.

Concluſio ad Regem.

NOſtra *Poteſtatem* non æquant carmina tantam:
Et quæ *virtuti* Muſa ſit æqua tuæ?
Nomen id auguſtum plures onerabit Athenas,
Smyrna nec in laudes ſufficit ipſa tuas.
Vt tamen ille Ducum Dux maximus, amne puſillo
Excepit venæ deterioris aquas:
Sic tua ſperamus capiet veneranda *Poteſtas*
Carmina de venâ paupere ſi qua fluunt.
Quædam forſan erunt infantia carmina, plures
Nempe quòd infantes hìc didicere loqui.
Atq; aliqui quibus aſpirat præcordia Phæbus
Ne liber hic nimium creſceret inde, ſilent.
Nam prius ingenij iacturam ferre putamus,
Excedat iuſtum quàm liber iſte modum.

FINIS.

XUM

XUM